



15
IN NOMINE JESU!
CONTEMPLATIO PHILOSOPHICA
THEOLOGIAE NATURALIS

De
ATTRIBUTIS DIVINIS:

Cujus
DISPUTATIONEM VI.

DE
SIMPLICITA-
TE ET VITA ESSENTIAE
DIVINAE,

PRÆSES

M. JOHANNES Deutschmann

Facult. Philosoph. Adjunct.

ET RESPONDENS

M. ANDREAS VVINZIGERUS,

Sittaviâ - Lufatus.

publicæ collationi exponet,

Ad d. 21. Decembris Horis Matutinis

In Auditorio Minori.

WITTEBERGÆ

Typis MICHAELIS WENDEI

ANNO c19 13 LIII.

15

SACRUM HOCCE

QUADRIGÆ

FILIORUM

Prosapie Magnificæ, Splendoris celebris,

PATRUM

VIRORUM

Magnif. Nobiliss. Ampliss. Consultiss.

DN. CHRISTIANI ab HARTIG,

auff Hörnitz Equit. D. Marci Generosi, Consulis patriæ Gravissimi.

DN. PHILIPPI STOLLII,

Consulis Reipubl. Sittanorum Spectabilis.

DN. CASPARI HARTRANFTI,

auff Rattgendorff Senatoris in patriâ primarij.

DN. JOHANNIS EICHLERI ab Nurtz/

Senatoris ibidem ac Mercatoris primarij.

JUVENUM,

Nobilitate avitâ Conspicuum, Indole virtuteq; doctâ Celebratissimum.

D N N N N.

JOHANNI PHILIPPO STOLLIO,

JOHANNI JACOBO ab HARTIG,

JOHANNI CHRISTIANO EICHLERO

ab Nurtz/

ANDREÆ HARTRANFTIO, Matrueles

suo dilecto, discipulo olim amabili.

Favitoribus suis amicis,

ad

Declarandam gratæ mentis indicinam, propterea

Magnific. Eorum Parentum Faventiam

sibi exhibitam officioso ex debito su-

spendit,

Cultor eorum candidus,

M. ANDREAS WINZIGERUS, SS. Theol. Stud.

IN NOMINE DOMINI JESU!

THES. I.



Xplicatis superioribus attributis non sine causa *Simplicitatem & Vitam* subjungimus. Hactenus enim ea potissimum communia de DEO vidimus prædicata, quæ sub ratione *Entis* Divinæ conveniunt essentiæ: cum autem præter hæc etiam alia dentur attributa, itidem communia, quæ sub ratione *Spiritus* Deo tribuuntur, proximum est, ut eorum explicationem suscipiamus. Horum numerantur duo immediata, *simplicitas* nim. & *Vita*, ex qua deinde iterum alia suam habent originem, ut ex proxima patebit disputatione.

2. De *Simplicitate* primum *Onomatologiam* proponimus, deinde *περαγματολογία* exponimus. Illa continet (1) *Ety-mologiam* secundum quam *simplicitas* à *simplici* appellationem accepit, *Simplex* autem quasi *sine plica* dicitur, cum sit absque omni complicatione, vel compositione. (2) *Homonymiam*. Ex qua vox simplicitatis sumitur (1) in sensu *abusivo*, prout sapientiæ & eruditioni opponitur, & denotat nihil aliud quam mentis simplicitatem h. e. stultitiam. Sicut enim *simplex* dicitur is, qui rudis est & stultus, omniq; vel rerum vel actionum notitia destituitur: ita *simplicitas* hujus notitiæ notat defectum & stultitiæ infert affectum. Sed hæc significatio ad nostram non pertinet tractationem: de Deo agimus, talia igitur solum attributa admittimus, quibus perfectiones absolutissimas explicare possumus, stultitia verò non perfectionem, sed maximam imperfectionem indicat. (2) in sensu *Ethico*, prout calliditati & astutiæ opponitur & denotat voluntatis simplicitatem, h. e. candorem & sinceritatem absque omni dolo & furo. Nam *simplex* vocatur is, qui non est *ἀνὴρ διψυχος*, aliud ore, aliud corde gerens, hic enim verè duplex est: duplex non tantum ratione sui, quia pulcherrimam oris & cordis harmoniam atq; simplicitatem tollit: sed etiam ratione aliorum, quia fucatis verbis mel, sed re ipsa fel ipsis offerre dicitur: ita *simplicitas* notat laudatissimam oris & cordis

consonantiam & firmissimam sine dolosa compositionis fucō
constantiam. Hæc simplicitas licet aliàs in Deo, tamen minimè
in præsentī disputatione directè invenit locum. Nam licet Deo
talis nullo modo cōpetat inconstātia, quæ aliàs in viros *διψύ-*
χως, cadit tamen nostri non est instituti, tam Dei sinceritatem,
quam Divinæ essentiæ simplicitatem explicare. [3] in sensu *Theo-*
retico & sic iterum variat: Nam simplicitas dicitur partim *ratio-*
ne materiae: sic in *Physicis*, quædam corpora naturalia vocantur
simplicia, ut cælum, aer, ignis &c. partim *ratione indifferentia*, &
quidem non tantum in sensu *Metaphysico*, quatenus cum compo-
sitione affectionem disjunctam Entis constituit; sed etiam in
sensu *Pneumatico*, quatenus in parte generali hujus disciplinæ
explicatur, & affectio Spiritus in genere appellatur: Partim *ra-*
tione essentiæ, quo sensu vel *omnem* excludit *compositionem*, & *abso-*
latè seu *Eminentè* simplicissimam infert simplicitatem soli Deo
cōpetentem, estq; hujus loci: vel tantum *famosariis* removel
compositionem, quæ dicitur *Physica*, estq; ex materia & forma. Ta-
lis Spiritibus creatis aliàs cōpetere dicitur.

3. *Pragmatologia* iterum duo sistit (1) *Existentiā*, quod sim-
plicitas sit aliquod divinæ essentiæ attributum. Hanc confir-
matam damus (2) *ex simplicissima divinæ essentiæ unitate*. Q. sim-
plicissimo modo unum est, ejus etiam verum est attributum sim-
plicitas. At Divina essentiā talis: E. *Major* probatur, quia cui
convenit simplicissima Unitas, eidem etiam Unitissima simplici-
tas non potest denegari: & quia quod simplicissimè unum est,
illud verè etiam simplex est. *Minor* confirmatur: quia Deus
καὶ ἕξοχὴν unus est. Eminentissima autem essentiæ divinæ uni-
tas non potest ullam admittere compositionem, quia omnis
cōpositio ad minimum fit ex duobus: duo igitur si darentur
in Deo, periret hujus Unitatis Eminentia. *Deinde* Unum apud
Metaphysicos dicitur vel *indivisibile*, vel *indivisum*: illud est, quod
in se ita est indivisum, ut dividi nequeat in plura, cum
nec actu nec potestate sit capax multitudinis; hoc verò quod in
se actu quidem est Ens indivisum, sed tamen dividi potest in
partes, ex quibus essentialiter componitur. *Illud* iterum est vel
primarium, vel *secundarium*. *Illud* est, quod ἀπλῶς tale est & uni-
tissime

tissime Unum: hoc verò, quod in se quidem unum est, sed tantum secundum certum respectum. Hinc *Adm. Reu. Dn. D. Scharf. Ex. empl. Metaph. p. 41.* dicit de indivisibili unitate: *Qualis Unitas simplex primū est in Deo. Ut enim Deus summè simplex est, ita etiam summè Unus est. Deinde est in essentia angelorum & formis abstractis, in puris actibus, in essentia accidentium, in abstractis ultimatis. Quae ut dicunt simplicem essentiam: ita etiam habent unitatem simplicem.* Ex quibus verbis colligimus partim maximam esse inter Unitatem & simplicitatem affinitatem, ac proinde rectè hanc ex illa, illamque ex hac probari: partim etiam quod summa indivisibilitas omninò confirmet nostrum simplicitatis attributum. Quod enim nullo modo est divisibile, nullo modo est compositum: Summè indivisibile nullo modo est divisibile E. Porro: Quod nullo modo est compositum, omni modo est simplex. Summè indivisibile nullo modo est compositum. E. omni modo est simplex h. e. simplicissimum.

4. (2) *ab essentia divina primitate.* Q. est Ens primum, illud etiam est simplex: Atqui Deus est Ens primum E. *Major* probatur ex hoc syllogismo disjunctivo: Ens primum aut est simplex, aut compositum. Sed non est compositum E. est simplex. Membra in *major* pro syllogismi sunt immediatè opposita, quia simplex & compositum est disjuncta Entis affectio, ut *Metaphysici* docent, ergo tertium non datur. *Minor* probatur, quia si esset compositum, ex partibus esset compositum, per compositionem esset compositum, & ab alio esset compositum: nullum verò ex his de Ente primo dici potest: non *illud*, quia omnes partes sunt priores toto, sic igitur partes essent ante Ens primum & sic primum esset non primum, quod contradictionem involvit: non *istud*, quia compositio tanquam actio præsupponit substantiam; cum Actiones & passionis, secundum tritum Canonem, sint suppositorum: Ergo aliud suppositum Ente primo esset prius, quod iterum absurdum: neq; *hoc*, quia esse ab alio infert dependentiam, omnis autem dependentia conjuncta est cum posterioritate, neq; ullum Ens dependens potest esse primum: Ens primum igitur cum nec dependens, nec posterius alio esse queat, ideò manet hoc, quod Ens primum non compositum sit, sed simplex.

Deinde quod attinet *Minorem*, Deum esse *Ens primum*, illud li-
quet ex eius *aternitate, infinitate, immensitate, ab omnium reliquo-
rum Essentia origine &c.*

5. (3) *ex summa Dei perfectione*: Q. est perfectissimum, illud
etiam est simplicissimum: Divina Essentia est perfectissima. E.
Minor præced. disp. est confirmata. *Majorem* probo tum *ex perfecti
definitione*: Perfectum est, cui nihil deest, ad eam, quæ ei debeba-
tur integritatem: Hæc autem simplicitas divinæ essentia debe-
tur, ut ex præcedentibus patet, & ex sequentibus constabit: τὸ
θεῖον inquit, *Damasc. l. 1. Orthod. fid. c. 12. ἀπλῶς καὶ ἀσυνθετόν.*
Nam ubi non est vera simplicitas, ibi non est unitissima Deitas.
Tum *ex perfectionis gradu*: Q. enim est perfectissimum, illi nulla
deest perfectio. Deus est talis. E. Cui verò nulla deficit perfectio,
ei vera competit simplicitas, cum hæc vera sit perfectio, & o-
mnem compositionem ceu imperfectionis notam à se respuat.
Tum *ex simplicitatis statu*. Nam tanto aliquid in quolibet rerum
genere est perfectius & nobilius, quanto est simplicius. Aurum
eo perfectius est, quo minus habet mixturæ ex reliquis metallis:
vinum eò majorem obtinet perfectionem, quo minorem ab aqua
accipit impuritatem. Deus igitur cum omnium sit perfectissi-
mus, etiam omnium verè erit simplicissimus. Unde non imme-
rito & *Moses Ægyptius* dicit: *DEus est Ens non in essentia: vivens,
non in vita: potens, non in potentia, sapiens, non in sapientia.* Quibus
verbis indicare voluit, Deum ita perfectissimè esse omnia, ut
nullo modo in Deum cadat alienitas, quasi aliud sit ejus esse,
& aliud essentia, vel aliud sit vivere, & aliud vita &c. sed simpli-
cissimè hæc omnia de Deo dici, quia ipsa est essentia, ipsa vita,
potentia, sapientia &c.

6. (4) *ex essentia divina aternitate*. Q. est æternum, illud etiam
est simplicissimum. Deus est æternus. E. *Minor* est certa. *Major*
probatur, quia æternum non potest esse nisi unicum: neque hic
sufficit unitas qualiscunq;, sed potius eminentissima unitas: Ens
æternum enim est Eminentissimum, & talia sunt attributa, qua-
lia requirit subjecti natura. Deinde quia æternum est omnium
primum, utpote quo prius concedi nequit, quia implicaret con-
tradictionem, æternum esse, & tamen se prius aliquid admittere:

Primum

Primum autem quod est, simplicissimum est, ut th. 5. est probatum. Urget hoc argumentum etiam Zanchius l. 2. de Nat. Dei c. 2. Ab aeternitate Dei, inquit, sic ratiocinamur: Si Deus non est prorsus simplex, sed aliquo modo compositus: ab aliquo compositus sit, ac proinde de componente sit posterior, necesse est: Nihil enim seipsum componit, quia nihil potest sui ipsius esse efficiens causa, alioqui prius esset seipso. Est autem Deus ita aeternus, ut ante ipsum nihil fuerit, aut etiam fuisse, ex cogitari possit.

7. (5) ex essentia divina infinitate. Q. est infinitum, illud est simplicissimum. Deus est infinitus E. Minore extra controversiam positâ Majorem probamus, tum ex infiniti descriptione: Infinitum enim est, quod nullos essentiae fines vel terminos admittit: Simplicissimum itidem non agnoscit essentiae suae fines: hoc enim si concederet, simplicissimus ejus status periret. Tum ex infiniti unitissima perfectione nam quod infinitum est, unitissime est perfectum: hoc autem non nisi simplicissimum verè dicitur. Tum ex corporis negatione. Hoc sequentibus verbis confirmat B. Dn. D. Jacob. Mart. l. 2. Exer. Met. Ex. 4. th. 15. p. 786. Neg. infinitum est Ens corporeum. Est enim quantum: omne autem quantum terminis includitur; & omne terminis inclusum, est determinatum: omne determinatum est finitum & circumscriptum. Neg. infinitum corpus naturale esse potest, quum tamen omne corpus debeat tale esse. Naturale non potest esse, quia est incapax motus (& quietis) quod pugnat cum natura. Natura enim est principium motus & quietis. Corpus infinitum incapax motus esse probatur. Nam motus est vel rectus, vel circularis. Motum rectum non capit ejusmodi corpus, quia omnia occupat. Non circularem: omnis enim circularis motus finitus est: pars enim haec locum ingreditur alterius: locus verò finitus infiniti corporis non est capax, quod omnis locus locato sit aequalis. Quinimò si corpus circulariter motum esset infinitum, omnes lineae à centro ductae nunquam circumferentiam attingerent: non enim daretur; sed distarent ratione circumferentiae in infinitum. At infinitum non est perversabile: Ergo in infinito corpore motus circularis esse, vel una pars per conversionem in locum alterius transire nequit. Adde quod corpus infinitum sit sine figura, mensurâ & termino interno. Unde ne cogitari quidem potest infinitum quantum. Deniq; ex spiritualitatis affirmatione:

tionis:

pione: si enim infinitum non potest esse corpus, sequitur quod necessario sit spiritus cum omnis substantia sit vel spiritualis vel corporea. Quicquid autem spiritus est, illud etiam est simplex quia simplicitas est attributum necessarium ipsius spiritus.

8. (6) *ex essentia divina immutabilitate*. Q. est immutabile, illud etiam est simplex: Deus est immutabilis *E. Major* probatur, quia non est compositum: quicquid autem non est compositum, illud verè est simplex. Immutabile autem non esse compositum inde liquet: Si enim esset compositum, in ea posset suam naturam resolveri principia, ex quibus esset compositum, cum hæc regula sit certissima. Eadem esse principia resolutionis quæ sunt compositionis, ita quidem, ut ex quibus aliquid est compositum, in eadem suapte natura iterum possit resolveri, etiamsi per aliud, quominus hæc resolutio in actum deducatur, aliquod impedimentum accedere queat. Loquimur enim de posse, non de esse actuali, sicut etiam mutabile, non significat illud, quod actu mutatur semper, sed quod suam naturam aptum natum est, ut mutationem recipere queat. Ex his colligimus quod omne compositum sit resolubile h. e. quod possit resolveri. Quicquid autem potest resolveri, illud etiam potest mutari ac proinde revera est mutabile: Si igitur immutabile esse compositum, esset resolubile & mutabile & sic immutabile esset mutabile, quod est absurdum.

9. (7) *Ex attributorum cum ipsa essentia divina simplicissima identitate*. Nihil enim compositionis vel varia de Deo nomina, vel distincta ejus attributa inferunt. Plurima quidem de Deo adhibentur nomina, sed notum est, quod nomina non componant, & quod nomina secundum illius rei naturam, cujus sunt nomina, sunt explicanda, sicut alias dicitur: *Verba secundum substantiam materiam esse intelligenda*: ac proinde nominum multitudo nihil præjudicare potest perfectissimæ divinæ essentiae simplicitati. Hæc enim nominum multitudo potissimum respectu nostri propter summam intellectus nostri imperfectionem adhibetur. Et licet Deus pro immensa ac infinita sua sapientia unum nomen hominibus revelare potuisset, quo omnes essentiae suæ perfectiones includeret: quia tamen nostri intellectus infirmitas tantas tamq; varias ac summè infinitas perfectiones sub
unius

unius nominis compendio intelligere non voluisset, ideo nostro captui nominum varietas simplicissimam DEI essentiam ejusque perfectiones representare voluit. Distinctio attributorum *præterea* non tollit divinæ essentia simplicitatem. Non enim attributa sunt accidentis realitate & in subiecto diversa, sed sunt ipsissima DEI essentia. Si igitur omnia attributa simplicissime sunt ipsa essentia, sequitur etiam, quod Deus sit simplicissimus. At verum est prius E. *Major* probatur, quia omnis difficultas videtur oriri ex attributorum multitudine & distinctione. *Minorem* sæpius probavimus; hac voce tantum verba *August. tom. 3. de Trin. l. 6. c. 4.* allegamus; *DEO idem est esse & fortem esse, vel sapientem esse, vel justum esse: & si quid de illa simplici multiplicitate, vel multiplici simplicitate dixeris quo substantia ejus significetur.*

- 10. (8) *ex reliquorum Entium comparatione.* Hoc argumentum late persequitur *August. t. 2. de Trin. l. 6. c. 6.* ubi videlicet probat omnem corpoream creaturam esse multiplicem & compositam, propter partes, è quibus est composita. De spiritali autem creatura concedit quidem aliquam, sed non omnem simplicitatem. *Creatura inquit, quoque spiritalis, ut est anima, in comparatione quidem corporis est simplex: sine comparatione verò corporis, multiplex est, & non simplex. Quæ ideo dicitur simplex respectu corporis, quia mole non diffunditur per speciem loci: sed in unoquoque corpore, & in toto tota est, & in qualibet ejus parte, tota est. Et ideo cum sit aliquid in quavis exigua particula corporis, quod sentiat anima, quamvis non fiat in toto corpore: Illa tamen tota sentit, qua totam non latet. Sed tamen nec in ipsa tota anima vera simplicitas est. Cune enim aliud sit artificiosam esse, aliud inertem, aliud acutum, aliud memorem: aliud cupiditas, aliud timor, aliud lætitia, aliud tristitia possintque hæc & alia hujusmodi innumerabilia in anima invenire natura: & alia sine aliis: & alia magis, alia minus: manifestum est, animam non simplicem, sed multiplicem esse naturam. Nihil enim simplex mutabile est. Omnis autem creatura mutabilis est. Nulla igitur creatura verè simplex est. Tandem verò de*

B

DEI

DEI simplicitate hæc addit, *Deus etsi multiplex dicatur, verè ta-
men & summè simplex est.* Dicitur enim magnus, bonus, sapiens,
beatus verus, & quicquid aliud non indigne dici videtur. Sed eadem
magnitudo ejus est, quæ sapientia. Non enim mole magnus est. Sed
virtute. Et eadem bonitas ejus est, quæ sapientia & magnitudo & ve-
ritas. Et non est ibi aliud ipsum beatum esse; & aliud magnum, aut
sapientem, aut verum, aut bonum esse, aut omnino esse. Hæc ille.
Ex quibus manifestum est, DEUM sua simplicitate omnium
simplicium classes transcendere, & longo intervallo etiam ea,
quæ aliàs dicuntur simplicia, post se reliqui, unde aliud collige-
re non possumus, quam DEUM in se esse simplicissimam. Hinc
cum aliàs spiritus dicuntur non tantum simplices, sed etiam re-
verà sint simplices, DEUS dicitur à quibusdam spiritus *Spiritu-
lissimus*, ut indicetur, DEUM non tantum ratione spiritualitatis
omnibus aliis spiritibus verè superiorem esse, sed etiam ratio-
ne ipsius simplicitatis, licet hi inter creaturas sint simpli-
cissimi.

11. (9) *ex via negationis.* Nam si varios compositionis
modos consideramus, & secundum viam negationis progredi-
mur, facile deprehendimus, quod DEUS nullum compositionis
modum admittat, sed omni ratione simplicitatis observet natu-
ram. Datur (a) *compositio ex esse & essentia*, quæ non uno apud
omnes modo explicatur: *Scalig. exerc. 359. f. 2.* scribit: *Essentia
est, qua est id, quod est, esse verò est receptivitas essentia*: ut ita ex *Scalig.*
mente *Essentia* & *Esse* differant, ut habens & habitum, seu
uti ut illud, quod habet, & quod habetur. *Esse* est habens, seu
quod habet, nim. *Essentiam*: *Essentia* verò est aliquid habi-
tum, seu quæ habetur ab Ente: illud est concretum, hæc verò ab-
stractum. Et hæc compositio in creaturis dicitur esse realis,
quia homo dicitur compositus ex humanitate, quæ *Essentiam* s.
abstractum dicit, & habente hanc humanitatem, quod *Esse* &
concretum, inferre videtur. Deinde *Suarez. d. 30. Metaph. f. 2. &
d. 31.* aliter accipit hujus compositionis sensum dum per *Esse* in-
telligi rei *existentiam*, per *Essentiam* verò *Essentiam* ipsam in se
specta-

spectatam & ab intellectu præcisam, quem sequuntur etiam nostri Metaphysici. *B. Dn. D. Jac. Mart. l. 2. Ex. 2. lb. 2. p. 506. Compositio ex esse & essentia est, quæ habet rationem & proportionem a-ctus & potentie. Adm. Rev. Dn. D. Scharf. Ex. Met. l. 2. c. 18. Compositio ex esse & essentia concipitur in creaturis, prout intellectus distinguit inter essentiam & existentiam. Prout enim concipit ipsam essentiam, & deinde quasi superaddit existentiam vel esse actuale oritur inde quædam compositio in essentia, cui superadditur (à mente nempe) existentia, tanquam diversa ab ipsa essentia. Sed quocunq; sensu intelligatur hæc compositio, nullo tamen DEO competit modo. Nam quoad prioram acceptionem, non est ibi aliud DEUS, qui habet Deitatem, & aliud ipsa Deitas, quæ habetur, ut testis est Hilarius l. 8. de Trin p. 153. Non humano modo ex compositis DEUS est, ut in eo sit aliud, quod ab eo habetur, & aliud sit ipse, qui habeat: sed totum quod est, vita est: Natura sc. perfecta & absoluta & infinita: & non ex disparibus, constituta, sed vivens ipsa per totum. idem etiam ante Hilarium Justinus Martyr nobis reliquit. Nam in quasi & resp. ad Orthod. q. 144. quærit: Si DEUS habet subsistentiam, existentiam & voluntatem in-existentem &c. quomodo tot modis compositus, simplex dicitur? Et inter alia respondet: Non ad instar create nature DEUS est, ut id, quod sit, & id, quod habeat, per compositionem intelligatur, sicut natura create: verum pro eo, atque naturam obtinet, ita etiam intelligendus est, id quod sit, & id, quod habeat, obtinere supra compositionem. Nec res ipsa videtur aliud postulare. Si enim ita in DEO concretum & abstractum, DEUS & Deitas inferrent compositionem, caderet summa Dei perfectio: DEUS enim non esset perfectissimus, sed omnem suam perfectionem participatam haberet à Deitate: expiraret purissima actualitas, quia essentia Deitatis haberetur, & ab alio reciperetur, nim. à concreto. Quoad posteriorem etiam explicationem hæc compositio penitus est removenda, tum quia ratio nostra nullo modo potest inter essentiam & existentiam Dei distingvere, sed utraq; formaliter eadem est: tum quia essentia præcisâ existentiam concipitur, ut carens actualitate: DEUS autem cum sit actus purissimus,*

mus, non potest sine actualitate cognosci: tum quia essentia divina hoc modo conciperetur ut Ens in potentia, quod autem in potentia est, in causis esse concipitur: de Deo talia dicere, absurdissimum est.

12. Datur (β) *Compositio ex natura & supposito*. *Compositio*, inquit *Excell. Dn. D. Scharf. d. l. ex natura & supposito est in creatis suppositis, qua essentia creata substantialis coarctatur per modum superadditum ad esse personæ vel suppositi*. Dicitur (1) quod sit in creatis suppositis: Deus autem non est creatura, sed ipse creator. (2) quod essentia creata substantialis coarctetur; quatenus enim natura in se & in sua specifica essentia consideratur, ita omni caret supposito: Quia omne suppositum est individuum: natura autem quatenus in se & universaliter consideratur non potest esse individuum seu singulare, sed potius est universale: Divina autem essentia nequam est universalis, omnemq; talem respuit coarctationem. (3) quod hæc coarctatio fiat per modum superadditum ad esse personæ vel suppositi. Natura enim nec universalis, nec singularis est ipsa persona, formaliter accepta, in creaturis, quia aliud est ipsa essentia, & aliud est suppositalitas seu personalitas, hinc dicitur quod hic modus superaddatur ad esse personæ; in Deo verò talis superadditio fieri nequit, cum hanc non admittat eminentissima divinæ essentiae perfectio, adeoq; non tantum coarctatio, quæ fit per modum suppositalitates, hic est impossibilis, sed etiam ipsius modi superadditio nequam est concedenda, & sic etiam compositio ex natura & supposito est removenda.

13. Datur (γ) *compositio ex actu & potentia*, quando nim. Ens aliquod nec ratione essentiae nec ratione proprietatum & operationum purissimus est actus, sed multiplicem potentiam passivam includit; qualis compositio datur in omnibus creaturis, quia omnes de hac potentia passiva participant. Deus verò cum sit actus purissimus, & omnem excludat passivam potentiam, non potest hujus compositionis capax esse. *Nomine enim actus puri, ut scribit Suarez. d. 30. f. 3. n. 2. significatur res illa, quæ omni care-*
re po-

ret potentialitate, quæ actus dicitur quatenus includit esse, quod est ut-
tima vel potius prima actualitas rei. Unde hic non dicitur actus for-
malis vel actuans, sed in se actu existens: purus autem dicitur, tum ad
excludendam potentiam objectivam seu omnem statum existendi tan-
tum in potentia, qui repugnat Enti ab intrinseco necessario, uti per se
constat, tum ad excludendam omnem potentiam passivam, veram &
realem, unde quoad hanc partem coincidit hæc proprietas cum simpli-
citate. Deus autem verè est actus purus, actus perpetuus, actus
infinite, adeoq; non potest esse compositus ex actu & potentia,
quia nec cæpit esse, nec desinit esse, & quia ejus attributa non sunt
nudæ potentiæ, sed perpetuæ actualitates.

14. Datur [4] Compositio ex genere & differentia, quæ iterum
est in creaturis, prout omnis species constat ex conceptu latiore &
æquali. Dicitur (1) esse in creaturis, Deus autem cum creatoris
nullam alit communitatem. (2) quod competat speciebus: Deus
autem non est species, quia species est synonymum, quod de plu-
ribus numero diversis prædicatur in quid, & quia species est uni-
versale, Deus non est natura universalis, sed singularis (3) quod
constet conceptu latiore, nim. generico, talem autem conceptum
Deus penitus à se alienum vult. (4) quod constet æquali; Deo
autem nihil æquale vel nominari, vel cogitari potest. Præte-
rea dicit Thom p. 1. q. 3. art. 5. Si Deus esset sub genere l. directè, vel
reductivè esset sub genere, sed hoc neutro modo potest dici Er.
Non directè, quia Deus esset species: omnis autem species con-
stat ex genere & differentia, & sic est composita: sic differentia
constitutiva, quæ speciem constituit, semper se habet ad illud,
unde sumitur genus, sicut actus ad potentiam, & sic Deus etiam
componeretur ex actu & potentia, quod itidem est absurdum.
Item si directè esset sub genere, Genus Dei ens foret, quia esse Dei
est ejus essentia, & genus significat essentiam rei, cum prædice-
tur in eo, quod quid est. At Arist. l. 3. Met. t. 10. ostendit, quod
Ens non possit esse genus alicujus: omne enim genus habet dif-
ferentias, quæ sunt extra essentiam generis; nulla tamen diffe-
rentia potest invenire, quæ esset extra Ens: quia non Ens non

B 3

potest

potest esse differentia. Tandem non potest esse directè sub genere, quia omnia, quæ sunt sub uno genere, communicant in quidditate generis, quod prædicatur de eis in eo, quod quid est: differunt autem secundum esse specificum, & sic oportet omnia, quæ sunt sub genere, specificè differre: talia autem de Deo dici nequeunt. Neque *indirecte* seu per reductionem, sicut principia & privationes c.g. punctum & unitas ad quantitatem, privationes ad suos habitus. Nam principium quod reducitur ad aliquod genus, non se extendit ultra genus illud, sicut punctum non est principium, nisi quantitatis continuæ, & unitas discretæ: Deus autem est principium totius esse, unde non continetur in aliquo genere, ut principium.

15. Denique (5) datur *Compositio ex subjecto & Accidente*, quæ itidem datur in omni creato, in quo tanquam in subjecto confluunt quasi varia & diversa Accidentia, indeque accidentaliter componunt essentiam Entis creati. Deo autem nulla conveniunt accidentia, quia sic Deus esset potentia, quando enim subjectum comparatur ad accidens, sicut potentia ad actum comparari dicitur, cum subjectum secundum accidens aliquo modo sit in actu: quia Deus non esset ipsum esse; licet enim id, quod est aliquid, possit habere adjunctum, tamen quod ipsum esse dicitur, non potest habere adjunctum: quia Deus reciperet aliquod extraneum, aliunde autem Deus nihil potest accipere: & deniq; quia Deus ita esset quodammodo causatum, nam accidentia producuntur ex principiis subjecti, quod est causa accidentium, & sic etiam essentia divina suorum accidentium esset causa, quod est absurdum.

16. Datur (6) *Compositio ex materia & forma*, qualis datur in omnibus & solis corporibus naturalibus & appellatur *Physica*. Verum Deus nullo modo secundum hanc compositionem est compositus, quia sic omnino esset mutabilis, sicut corpora naturalia variis mutationibus sunt exposita: esset corruptibilis, quia hæc corruptio est affectio licet non omnium, tamen præcipuorum corporum physicorum, nim. animatorum, sensibilibium & ipsius hominis: esset etiam resolubilis in sua principia, ex quibus
tunc

tunc foret compositus &c. quæ omnia sunt absurda. Sed cum Deus nec pertineat ad physicam, nec sit corpus aliquod naturale, sed potius omnium corporum naturalium causa, omnino ad hujus compositionis censum eum referre nec possumus nec debemus.

17. Datur (7) *Compositio ex partibus integralibus & quantitativis*, in quantis corporibus, ubi una pars quantitatis extra aliam est posita, ita quidem ut per unionem s. compositionem partes constituant unum quantum. Verum cum Deus sit Ens aliquod spirituale, immateriale, infinitum &c. neutiquam ipsi quantitatem tribuere possumus. Eleganter enim scribit August. 1.3. de Tr. n. l. 5. c. 2. *Si intelligamus DEum si possumus, quantum possumus: sine qualitate bonum: sine quantitate magnum: sine indigentia creatorem: sine situ presidentem: sine habitu omnia continentem: sine loco ubique totum: sine tempore sempiternum: sine ulla sui mutatione mutabilia facientem, nihilque patientem.* Quisquis DEum ita cogitat, etsi modum potest omnino, invenire quis sit ipse: piè tamen caveat, quantum potest, aliquid de illo sentire, quod non sit.

18. (11) *Essentiam*, quid sit essentiæ divinæ simplicitas. B. Dn. D. Jac. Mart. l. 2. Ex. 4. lb. 15. p. 786 hanc tradit descriptionem: *Smplicitas Dei est attributum Dei essentielle, per quod divina natura & essentia prorsus expers compositionis, divisionis, multitudinis & accidentium, adeoque incorporea, spiritualis & impartibilis esse intelligitur.* Dicitur *attributum Dei*, quia re ipsâ Deo competit ut hætenus est probatum, adeoque tum per conceptum, tum per prædicationem Deo verè tribuitur. Dicitur *essentiale Dei attributum*, quia Deus in se & sua natura est simplex, ita quidem, ut hæc simplicitas non sit aliquod in Deo accidens, sed potius materialiter sit ipsa essentia. Hinc porro dicitur, quod per hoc essentielle attributum *divina natura* sit nim. simplicissima; hæc enim verba ad *materiale* respiciunt, quod simplicitas cum reliquis attributis commune habet, nim. Essentiam divinam, quæ ceu fundamentum aliquod maximè congruum, his attributis afficitur, & suis quasi perfectionibus exornatur. Reliqua verba *formale*

male

male simplicitatis illustrent quod divina essentia per & propter
hujus attributi statum (1) *expers sit omnis compositionis* (2) *lit ex-*
pers omnis divisionis (3) *lit expers omnis multitudinis* (4) *lit expers*
omnium accidentium. (5) quod *lit incorporea* (6) *impartibilis* (7)
spiritualis. Quæ verba licet non omnia rigorosam servant di-
stinctionem, tamen eundem conceptum distinctius quodam-
modo videntur representare.

19. Alterum hujus disputationis attributum est *Vita Dei*,
de qua statim quæritur: Num *Vita sit verum divine essentis attri-*
butum? Thom. p. 1. q. 18. art. 4. triplicem dubitandi profert occa-
sionem (α) Videtur, quod Deo non convenit vita. Vivere enim
dicuntur aliqua, secundum quod movent seipsa. Sed Deo non
competit moveri. E. neque vivere (β) In omnibus, quæ vivunt,
est accipere aliquod vivendi principium. Unde dicitur in 2. de
Anima, quod anima sit viventis corporis causa & principium.
Sed Deus non habet aliquod principium E. Deo non competit
vivere (γ) Principium vitæ in rebus viventibus, quæ apud nos
sunt, est anima vegetabilis, quæ non est, nisi in rebus corporali-
bus E. rebus incorporalibus non competit vivere.

20. Verum & ad (α) quod *dist.* sit inter *rationem proprie sum-*
ptam, quatenus est affectio vel operatio corporum naturalium,
& cum quiete disjunctam corporis physici affectionum consti-
tuit: & inter *motionem generaliter acceptam*, quatenus notat
quamlibet operationem. Minor loquitur de physica, major de
latiori significatione, hinc oriuntur 4. termini. (2) Si minor æquè
accipiatur in latiori significatu, est falsa, ac propterea negatur,
quia Deo omnino conveniunt operationes. (3) Major est parti-
cularis, cum potissimum loquatur de vita corporum natura-
lium, quæ Deo non potest convenire: nisi igitur termini ampli-
entur, non potest esse universalis. Nam ut refert *Armand. de*
Bello Visu l. 2. Termin. c. 51. vox vitæ primò imposita est illis, quæ
seipsa movere videbantur: Et sic ex motu suo argentum vi-
vum suam appellationem, ut vivum diceretur, accepit: sic aquæ
ebullientes dicebantur vivæ, stagnales verò & quiescentes mor-
tuæ,

tuæ, unde quæ moveri à seipsis videbantur, vivere dicebantur.
 Sed ab hac vita ad Dei vitam velle argumentari N. V. C. Hinc
 (4) dist. inter vitam corporum naturalium & inter vitam verum spiri-
 tualium: de ista Major, de hac conclusio loquitur, & sic scopæ
 sunt dissolutæ. (5) Thomas dist. inter actiones ex l. 9. Metaph. t. 16.
 quod alia sit, quæ transit in exteriorem materiam ut calefacere, secare;
 alia quæ manet in agente, ut intelligere, sentire & velle: quarum hanc
 affert differentiam: quia prima actio non est perfectio agentis, quod
 movet sed ipsius moti: secunda autem est perfectio agentis. Unde
 quia motus est actus mobilis, secunda actio in quantum est actus ope-
 rantis, dicitur motus ejus ex hac similitudine, quod sicut motus actus
 mobilis, ita hujusmodi actio est actus agentis, licet motus sit actus im-
 perfecti: sc. existentis in potentia: hujusmodi autem actio est actus
 perfecti i. e. existentis in actu ut dicitur in l. 1. de Anima. Hoc igitur
 modo quo intelligere est motus, id quod se intelligit, dicitur se movere.
 Et per hunc modum etiam Plato posuit, quod DEUS moveat seipsum,
 non eo modo, quo motus est actus imperfecti. Hæc ille.

21. Resp. ad (β) dist. inter vitam creature & Creatoris: in illis
 potest principium locum habere, cum vita non sit essentialis,
 sed inter essentialia attributa recensetur: sed in hoc neutiquam
 est alia concedenda, vita quam essentialis, (2) Major iterum lo-
 quitur de vita naturali & physica, non verò de vita spiritali &
 pneumatica: patet hoc ex probatione, quia mentionem facit ani-
 mæ, quæ respectum animati involvit, & sic corporum composi-
 torum, non verò vitam spirituum simplicium probat: item ex
 diserta viventis corporis allegatione, non igitur opus est, ut hanc
 majorem hic loci admittamus, cum talem Deo vitam non tri-
 buamus: hinc Major iterum sit particularis: In omnibus sc.
 corporibus naturalibus, quæ vivunt, accipere debemus aliquod vi-
 vendi principium. (3) dist. inter vitam æternam & temporalem:
 hæc non respuit principium: illa verò nullam admittit causam,
 cum ab omni fuerit æternitate, & quidem sit ipsa Dei essentialis.
 Hinc (4) Thomas dicit: Sicut DEUS est ipsum suum esse, & suum in-
 telligere,

C

intelligere,

telligere, ita & suum vivere. Et propter hoc sic vivit, ut non habeat vivendi principium.

22. Resp. ad (γ) dist. inter vitam rerum, quæ apud nos sunt & vitam rerum, quæ supra nos sunt: de illa loquitur argumentum, ut ipsa verba volunt, de hac intelligendum nostrum est attributum (2) dist. inter significationem vitæ vulgaris, & inter purificatam. Hoc ut eò melius intelligatur notamus modum Unius purificationis ex Suarez. d. 30. s. 13. n. 6. sequentia: In modo vitæ, inquit, quem creature habent, duo considerare licet: Unum, quod existentes in suo naturali statu sese actuent, vel alioquo modo se perficiendo, vel in seipsis alia representando per cognitionem, vel in ea tendendo per appetitum perfectum: Aliud est, quod hæc efficiunt per veram causalitatem & motionem, qua seipsa movent vel proprio motu, vel saltem mutatione perfectiva. Prius horum perfectionis est, & nullam includit, vel supponit imperfectionem, nisi quatenus includit posterius i. e. quatenus illud, actuare se, est per veram causalitatem. Hæc ergo imperfectio tollenda est à vita Dei, & solum id, quod perfectionis est, illi est tribuendum: atque ita concipiendus est DEUS, ut actualissime habens totam illam perfectionem, quam habet vivens cum sese actuat intelligendo, vel cognoscendo, seclusa illa imperfectione distinctionis inter actum & potentiam & causalitatis. Et simili ratione quod in vita creata distinguatur in re ipsa vita in actu primo, à vita in actu secundo, & quod illa sit principium huius, hæc verò forma illius non est perfectionis simpliciter, sed includendo imperfectionem. Illud verò est in priori vita perfectionis simpliciter, quod nunc est substantialis vita: in posteriori verò quod est vita actualis. Utrumque ergo horum unitissime & simplicissime conjungitur in vita Dei absque ulla imperfectione: nam per suammet substantiam actualissime vivit & in ejus vita non est actus primus aut secundus, sed purissimus: & ideo non est ibi vita accidentalis, sed per essentiam: quapropter non solum est substantia vivens, sed ipsa substantialis vita. Hæc verba propterea adscripsimus, quia ostendunt modum purificationis, quomodo terminus vitæ ab omni imperfectione sit liberandus: quia etiam lucem prioribus objectionibus afferunt: & denique quia toti huic attributo multum

tum

tum splendoris & nobis faciliorem perceptionem, vitæque nostræ & vitæ divinæ distinctionem apertissimè offerunt.

23. Deinde quæritur: *Quid sit Vita Dei?* Definitio ad hanc quæstionem solvendam foret necessaria, si directè & aperte esset solvenda: verum in tanta rerum caligine definitionem Divinæ vitæ percipere non possumus: dicimus igitur cum *Arist. l. 10. Eth. c. 8.* *Nemo est, qui non vivere Deum existim. et:* sed addimus, nemo est, qui vitam Dei definire valeat. Ne autem penitus sicco pede transeamus, offerimus descriptionem ex *B. Dn. D. Jac. Mart. l. 2. Ex. 4. th. 16. p. 790.* *Vita Dei est essentielle Dei attributum, quod essentia divina actuosè vivere, & in seipsa & ex seipsa vi agendi, movendique prædita esse, adeoque agere & operari, ac agendo alijs etiam vitam communicare intelligitur.* Dicitur *Attributum Dei essentielle*, quia per & propter infinitam atque actuosissimam essentiam Deo competit, ita quidem ut vita sit à se, non quidem hanc effici aliquam causalitate producendo, sed omnem vitæ participationem ab alio factam excludendo: *Vita in se*, quia non in alio est vita, sicut brutorum animæ vitam habent, quamdiu in & cum corporibus dicuntur habitare: longè enim eminentiori modo Deus est supersus vita, nim. in se & sua essentia sine cujusvis alterius indigentia: *Vita per se*, quia non per aliquem actum vitalem, aut per innatam quandam vivendi facultatem vivit, sed per suam essentiam, quia Vita Dei est ipsa essentia Dei: *Vita propter se*, quia non propter aliud vivit, sicut omnia creaturarum genera propter hominem, & homo propter Deum dicitur vivere, sed ut Deus propter seipsum est, & manet sibi omnia, ita etiam propter seipsum, & propter suam ipsius essentiam vivere colligitur. *Materiale est essentia divina*, ut in alijs attributis, quia vita hæc est simplicissima & perfectissima, adeoq; perfectissimam etiam & simplicissimam essentiam intimè connotat. *Formale* multis verbis periphraستice describitur, quia illud à priori explicare non possumus: quod nim. essentia divina (1) *actuosè vivat:* (2) *quod in seipsa & ex seipsa vi agendi movendique sit prædita.* (3) *quod agere & operari & (4) agendo etiam alijs vitam communicare intelligatur.* Tantum.

At Per-eximium ac literatissimum

**Dn. M. RESPONDENTEM, Fautorem suum atq;
Amicum maximè colendum.**

Inhasisse diu terris animalis ad instar
Bruti, nec, quæ sunt caelestia, quærere, summo
Cum studio, bruti ne præ se ferre videtur
Vitam, cui satis est sese satiassè caducis.
Heus! valeant, valeant, hi mores & procul absint,
Linguatur brutis brutorum vita ferina,
Ad majora datur nobis hic semita, rara
Quæq; per angustas calles nos ducit ad astra.
Sint ibi delicia nostræ, quæ Summus Jova
Qui summum Verumq; Bonum qui **VITA** perennis
Et **SIMPLEX**, hunc hunc hic semper pectore grato,
Ore pio, & factis nos collaudemus honestis.
Hic in deliciis, Hic Spes, Hic unica cura
Est Winzgere Tibi: quare celebraßè Supremum
Te juvat: hinc merito Tibi grator, Teq; beatum
Prædico, quem sursum semper trahit hæcce voluptas.

Εὐφροσύνας ergò apponebat calamo
properante

Georgius Barthelius,
Schmidebergâ - Silesius,
S.S. Theol. Stud.



VO 17

